



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 66. Quid de turpibus comœdiis sit dicendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

sanc*tus peccet tantum venialiter, si velit sibi veniale, ergo etiam tantum venialiter peccabit, qui eum inducit ad veniale.* R. N. cons., si homo peccet, peccat volens, è contrà talis homo est graviter invitus ad ejusmodi vim vel dolum: si cuti potest quis sine mortali suas pecunias projicere in flumen, est tamen graviter invitus, se vi aut dolo ad hoc adduci. Occasione inductionis ad veniale hæc subjicit *Lugo, capeant ergo, qui juvenes puros & integræ vitæ trahunt dolosè ad colloquia vana & impura, quæ licet aliquando mala sint venialiter, hoc tamen ipsum est grave nocumentum, quod illis in eo statu & vitæ puritatem infertur.*

Q. 65. *Quomodo peccent pingentes vel exponentes imagines obscenæs.* R. Pingentes vel exponentes imagines planè obscenæs peccant mortaliter, uti docent Auctores plurimi cum Dian. p. 11.t.4. R. 32. Ratio est quia talis imago magis movet ad malum, quam sermo obscenus, & tamen certum est per sermonem obscenum dari grave scandalum. Infert Dian. eos, qui retinent ejusmodi imagines palam, & saltem non cooperiunt, etiam peccare mortaliter, & est eadem ratio. Nec obstat, usus communis, vel quod ars sic ostendatur, nam usus ille est pessimus abusus; ars autem, quæ ad bonum Reipublicæ esse debet, per hoc perdit finem artis, quia fit perniciosissima, ideoque à numero artium, quo-ad illam partem, esset expungenda.

Q. 66. *Quid de turpibus comœdiis sit dicendum.* R. De his videri potest comœdio-crisis, sive theatrum Hieronymi Florentinii, in quo ostendit originem comœdiarum; deinde adducit sententias Patrum contra eas; postmodum judicia Docto-

rum scholasticorum & moralium ex omni statu ac ordine; denique sic concludit, 1: peccant mortaliter qui componunt vel agunt comedias notabiliter obscenas ratione verborum, factorum, gestuum vel nutrium, Ratio est, tum quia non possunt non seipso exponere periculo. saltē probabili peccandi mortaliter; tum quia ponunt actiones excitativas spirituum genitalium & de se inchoativas pollutionis; tum denique quia sunt causa peccatorū in Spectatoribus & Auditoribus.

238 2. Quamvis nonnulli Auctores eos damnent venialis tantum, qui ejusmodi comediiis interfundit, tantum quārentes delectationem ex representatione & modo agendi, non autem ex re representata, tamen quia vix habebitur delectatio ex representatione, quin se ingerat delectatio ex re, dicendum est eos peccare mortaliter, quia etiam se exponunt probabili periculo peccandi mortaliter. Item censentur velle inchoatam in se pollutionem; & præterea cooperantur peccato Comedorum.

239 3. Peccant mortaliter, non tantum primi Spectatores vel Auditores, qui sunt causa determinativa, ut agatur commedia, sed etiam alii, qui superveniunt, & sine quibus adhuc ageretur, ut contra Baldel. Turr. Ferrant. Bardi. & Vidal. docent alii. Ratio est, quia licet demus non esse cooperantes, eò quod sine illis ad huc poneretur actio, tamen sunt approbantes eam actionem graviter peccaminosam, cum per actum complacentiae & delectationis tendant simul in illam; imo solvunt agentibus mercedem, favent, applaudunt, & hoc ipso cooperantur, quamvis enim actio ponetur sine illis, tamen adhuc positivè concurrunt, ut ponatur, unde sicuti qui adjungit se aliis decem trahen-

trahentibus lignum dicitur cooperari tractioni,  
licet illi decem soli sufficenter traxissent, ita & hi,  
nam etiam propter hos & horum pecuniam a-  
gunt Comœdi.

4. Clerici nunc accedentes ad tales comœdias <sup>240</sup>  
peccant insuper ratione gravis scandali. Nec re-  
fert, quod multi accedant, per quod nunc à scan-  
dalo Clericos excusare volunt *Cajet. Sanch. Bar-  
bos. Bonac. Dian. Baldel.* nam vel ideo gravius pec-  
cant, quia quod plures Clerici ibi à Laicis videntur,  
eo magis Laici confirmantur, ut & ipsi intersint  
liberius sive incauti vident & audiunt, per  
quod certò peccant mortaliter.

5. *Baldel.* putat non peccare Magistratus, si <sup>241</sup>  
pro aliquo tempore ad vitandam in populo ma-  
jorem licentiā Comœdos permittant, talis enim  
permisso, quæ non sit approbando, sed tantum  
ex justa causa non puniendo, non videtur illicita:  
Econtrà *Florentinus* contendit malum illud ma-  
jus, quod evitari deberet, assignari non posse, de-  
beret enim esse maius peccatum, (nam mala pœ-  
næ vel damna temporalia non debent præpon-  
derare malo culpæ) jam verò tanta est gravitas &  
multitudo peccatorum, quæ causatur per has  
comœdias, partim in componentibus & actori-  
bus, partim in Spectatoribus & Auditoribus, ut  
quidquid aliud loco harum comœdiarum essent  
acturi, non viderentur ponenda tot tamque gra-  
via peccata.

6. Justè posset & meritò deberet Episcopus e-  
dicto suo ac etiam pœnis spiritualibus cogere Co-  
mœdos ad non agendas comœdias; nisi priùs à  
Deputatis recognitas, sic enim fecit *S. Carol. Borr.*  
& ratio est, quia laicus propter peccatum populo

ita scandalosum efficitur de foro Episcopi , ut  
probant Menoch. l. 2. de Arbitr. cas. 69. n. 33. alii-  
que cum Barbos. in collect. n. 5. & de Off. Episc.  
Alleg. 82. n. 17.

## ARTICULUS II.

*An & quando scandalum passum permitti possit;*  
*aut ob illud vitandum, aliquid omitti debet.*

243 "R Esp. I. Permitti non potest absque necessita-  
"te vel utilitate, propria vel aliena. Ratio est,  
"quia tenemur ex Charitate impedire peccata  
"proximi, si id facilè possimus. Laym. l. 2. t. 3. c.  
"13. ex communi. Vnde resolvitur hic casus:

" Absque causa non licet petere mutuum ab u-  
"surario , vel ab infideli juramentum per falsos  
"Deos, à concubinario administrationem Sacra-  
"menti, vel ut celebret , cùm enim absque pecca-  
"to id non sit facturus, cooperareris ejus peccato.  
"Suar. Sanch. Trul. l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.

" Resp. II. Ex causa necessitatis , vel utilitatis,  
"potest permitti. Patet in dicto casu , qui simpli-  
"citer sine peccato fieri potest ; ideoque licet talia  
"petere ex rationabili causa, et si alter ex sua mali-  
"tia sit peccaturus. Requiritur autem major ne-  
"cessitas, ut permittatur scandalum Pusillorum,  
"quàm Pharisaicum. Item major , si plures sint  
"scandalizandi , si timeatur peccatum grave , &  
"denique, si certò prævideatur, quàm aliás. Laym.  
"l. c. Bon. 10. 2. d. 2. q. 4. p. 2. & d. 4. q. 1. p. 11.

• Resp. III. Debet permitti , si alioqui propria  
"salus periclitaretur, vel aliis, præsertim commu-  
"nitati , grave damnum immineret. Unde bona  
"spiritualia necessaria ad salutem nec debet, nec  
"potest quisquam dimittere, ob cujusquam scan-  
"dalum. Fill. tr. 28. cap. 6. n. 136.      Resp.